

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit

Fecht, Johann

Durlaci, 1680

XLII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)

in damnationis statu adscendet. Qui enim universaliter loquitur, nihil excipit. Jam verò superbia & elatio adversus DEUM & odium Dei pertinax gravissima omnium sunt peccata. Nam secundum Richardum, in libro de Spiritu blasphemiae, c. II. *Quod quisque odit, hoc improbat, vituperat & ab aliis odio haberi & vituperari desiderat*: quæ summi generis vitia sunt: Innititur præterea hæc loci Davidici interpretatio, Theologorum, id est, Ecclesiæ auctoritati. *Hoc enim*, (ita Gregor. de Valent. Tom. I. Th. Sch. d. IV. qu. XV. p. II.) *Theologi colligunt ex illo Psalmi: superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper: quod maxime convenit in damnatos.*

XLII. Secundum ex Novo Testamento argumentum est, Apoc. XVI. 9. Locum ex Græco convenienter expressit Latinus: *Et astuaverunt homines astu magno & blasphemaverunt nomen Dei, habentis potestatem super has plagas, neque egerunt penitentiam, ut darent illi gloriam.* Attribuitur hic damnatis blasphemia nominis Divini, quod grande sine dubitatione peccatum est, directè in DEUM tendens, ejusque majestatem lædens. Et oriri isthæc blasphemia dicitur ex atrocitate & astu pœnarum, quas illi perpetiuntur: quæ ratio peculiari argumento paulo post locum præstabit. Præterea impœnitentia & gloriæ Divinæ contemptus, quæ utique in magnis peccatis computantur, iisdem impinguntur. S. Augustinus, Tom. IX. in Apocal. Hom. XII. ad verba: *Usti sunt homines ustione magnâ*, notat: *Hoc futurum est adhuc in igne gebennæ.*

XLIII. Succedunt nunc rationes ex fidei analogiâ petiæ, quas eo ordine, quo ab Alberto Magno in Commentario super sententias adducuntur, proponemus. Tertium igitur argumentum à naturâ & formâ peccati desumptum est: *Omnis inordinatus motus nature rationalis est peccatum. Sed in inferno sunt inordinati motus animarum rationalium vel hominum. Ergo & in inferno sit peccatum.* Est hoc argumentum sine dubio inter ea, quibus peccare damnatos probatur, palmarium. Nam per Apostolicam sententiam: *ei qui contra spiritum sanctum in apostasia.* I. Joh. III. 4. *Omnis ea sive actio sive privatio hominis legi Divinæ subiecti, quæ à lege deviat, peccatum est.* Peccatum est non ea tantum actio, quâ DELIM contra primum legis præceptum, vel plures colendo DEOS, vel majestatem ejus quacunquæ aliâ ratione lædendo, offendo: neque ea tantum omisio, quâ